

28 DE BELLO GALLICO

50 pagos centum Sueuorum ad ripam Rheni cōsedisse: qui Rhenū transire conarentur, his praesse Nasuam, et Cimberium fratres. Quibus rebus Caesar uehementer cōmotus, maturandum sibi existimauit: ne, si noua manus Sueuorum cum ueteribus copijs Ariouisti sese cōiunxisset, minus facile resisti posset. Itaq; re frumentaria quā celerrimè potuit comparata, magnis itineribus ad Ariouistū contendit. Quum tridui uiam proceßisset, nunciatū est ei, Ariouistum cum suis omnibus copijs ad occupandum Vefontionem (quod est oppidum maximum Sequanorū) contendere, triduiq; 5^t uiam à suis finibus proceßisse. Id ne accideret, magno pere praecauendum sibi Caesar existimabat. Nanque omnium rerum quæ ad bellum usui erāt, summa erat in eo oppido facultas: idq; natura loci sic muniebatur, ut magnam ad ducendū bellum daret facultatem, al. Alduabis: uel, Aldualdubis propterea quod flumen + Aldualdalis, ut circino circumductum penè totum oppidum cingit: reliquū spatium, quod nō est amplius pedum sexcentorū, quā flumen intermittit, mons cōtinet magna altitudine, ita ut radices eius montis ex utraq; parte ripæ fluminis contingant. Hunc murus circundatus arcem efficit, & cum oppido cōiungit. Huc Caesar magnis diurnis, nocturnisq; itineribus contendit, occupatoq; oppido, ibi praesidiū collocat. Dum paucos dies ad Vefontionem rei frumentariæ, comæatusq; causa moratur, ex pereunclatione nostrorū, uocibusq; Gallorum, ac mercatorum